



Erpetuum est, quod summis reipublicæ  
præsidibus officium debetur , nec vel  
diem intercedere fas est , quo solutos  
nos ab illorum cultu existimemus. Quod  
enim illorum cura, saluti publicæ insum-  
ta , non definit , iique continuo de o-  
mnibus merentur bene ; vtique necesse est non vnquam  
intermitti quem ipsis honorem debemus & demississimam  
subiectionem. Sed hoc commune officium temporis-  
bus omnibus exsequendum præstandumque est , præter  
quod etiam alia pietatis & submissionis sunt munera, quæ  
statis diebus recurrent , ideoque maiori religione , tam-  
quam solemniora, peragenda. Quicumque in his primas  
**NATALEM DIEM** tenere censuerit, næ is nobis, quod  
verum est, iudicare , & cum sæculorum consentire anna-  
libus videtur. Id quod enim præstantissimum est in ho-  
mīne, & vnde cetera cuncta oriuntur , **VITA** est homi-  
nis , illus prima salus & primum signum , quod ad spe-  
randum nobis in dubiis eius proponitur. Si respondit  
eventus exspectationi per annorum non infelicem de-  
cursionem , de reliquis etiam quo minus bene spere-  
mus, nihil est quod animum nostrum possit, in spem  
natura, quam in malorum metum , procluiores , im-  
pedire. Quis ergo non videt, quod nunc paramus, tan-  
tæ necessitudinis esse & tam sanctæ pietatis officium , vt  
nullo modo prætermitti possit, aut non summa liceat re-  
ligione atque cura facere. Natalis enim in stat decimus ter-  
tius